VITT. EMANUE
G

ERMANNO LOESCHER & C°
ROMA
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 G
43

COMPENDIVM
IN SPHÆRAM PER PIERIVM VALERIANVM BEL-LVNENSEM.



CAPITA QVÆ TRACTAN TVR SVNT HÆC.

De Tota Mundi machina breuiſſime.
De Polis.
De Æquinoctiali.
De Zodiaco.
De Regionibus Signorum:
Signa, quibus Planetis addicta.
De Tropicis.
De Arctico & Antarctico Circulis.
De Coluris.
De Circulis mobilibus.
De Horizonte.
De Meridionali.
De Sphæra recta & obliqua.
De Motu Solis & aliorum Planetarum.
De Zonis.
De Parallelis.
De Inæqualitate Dierum & noctium.
De Calore & frigore.
De Eclipſibus.
Cur facies Lunæ Variæ.
Quid nox, quid Dies ſit.
De Significationibus Eclipſis utriuſq; in vnoquoq; ſigno, ex Proclo.

AD ILL. ET MAXIME REVEREN. ADOLESCENTEM ALEX. FAR- NESIVM CARD. S. R. E. VICECANCELL.

PIERII VALERIANI BELLV- NEN. COMPENDIVM IN SPHÆRAM.

QVOD *quæris* ALEXANDER *Cardinalis Ampliſs, terrarum ſitum tibi breuiter deſcribi, quæris quidem rem & ſcitu iucundam, & ſtudiis tuis apprime neceſſariam. Nam ſiue Poetas, ſiue hiſtoriam, ſiue Oratores legas, quæ tuæ ſunt adoleſcentiæ primæ deliciæ, quoquo te verteris, rei iſtius cognitio tibi fuerit opportuna. Inuitat vero te ſapientiſſimi, eruditiſſimiq́ Aui tui exemplum ad ea omnia ſtudioſius conſectanda, per quæ Ille ad ſummum rerum Culmen euectus eſt; Atq́ eos tibi primos in diſciplinis gradus conſtituiſti, qui ad humani ingenii captum propinquiores eſſe videantur, vt gradatim inde ad reliquarum ſcientiarum cognitionem, & conſumatisſimam, qua Ille plurimum pollet, doctrinam progrediaris. Macte igitur hoc animo, qui quem Auum refers nomine, ſapientia etiam æquare contendas; In quo ſpero Deum Opt. Max. optatis tuis facillime reſponſurum; Tu modo hac præditus indole, his bo-*

norum auſpiciis, totq; eruditiſſimorum hominum; quos domi alis, auxilio communitus paululum quid enitere, dum inſtitutum curſum arripias, reliqua negotio minimo, ac ſine puluere conſecuturus. Quoniam vero Terræ ipſius ſitus, deſcriptio, dimenſioq; ad cæli rationem adcommodanda eſt, de Cœlo prius, cœliq; partibus diſſerere quàm breuiſſime apertiſſimeq; poſſem neceſſarium exiſtimaui, quod hæc præſertim pars vt latina dictione tradatur deſiderari hactenus uiſa eſt. Fuerunt enim plæriq; etiam Latini homines, qui rem minus latine in vulgus edidere, quãuis cætera diligenter examinarint. Curauimus autem vt ea eſſet in inſtitutione noſtra facilitas, vt tenera quælibet ætas doctrinæ huius capax fieri poſſet, Nam & ſuperflua pleraq;, ne inepta dicam, quæ plerisq; faſtidium afferre conſuerant, à me ſummota reiectaq; ſunt, eaq; tantum admiſſa, quæ ad ſimplicem Sphære ipſius cognitionem neceſſaria videbantur. Illa autem quæ poſtea ſubſequuntur ad orbis Geographiam pertinentia, vnoquoq; vel mediocriter erudito commonſtrante, vel tuo ipſius ſtudio facillime conſequeris.

DE TOTA MVNDI MACHINA.

I L L V D *vero primum omnium tibi fuerit mente concipiendum, Terram hanc, quam incolimus, vniuerſam vna cum Aqua circumfuſa, ac illi intra ſupraq;, & infra etiam adhæreſcente, pilæ cuiusdam obrotun-*

dæ

dæ modo conſiderari debere, quam circum Aer vndequaq; diffuſus circumplectitur; Eodemq; modo Aer à circumfuſo igne confouetur. Quatuor enim his ſimplicibus Terra quippe, Aqua, Aere, & Igne omnia conſtant, quæ mox in varias rerum ſpecies conformantur. Supra corpora hæc, vt vt fieri poteſt, orbicularia ſeptem Planetarum orbes alterum alteri inſtar corticum cepis incumbentes Aſtronomorum ſubtilitas adinuenit. Lunæ, ſcilicet Mercurii. Veneris. Solis. Martis. Iouis, & Saturni. Supra Saturni Sphæram Stellarum fixarum orbis eſſe creditur.



Huc vſq; humanæ vis aciei fertur, totumq; cœli ambitum igneis quibuſdam clauis confixum arbitratur.

Supra

Supra tamen ſtellas cælum aliud eſſe fertur, quod Pri*mum mobile* Antiqui *ſapientes uocant*, vtpote *quod ſummi* Dei, *neq; enim aliter credendum eſt, imperio concitatum aſſidua, rapidiſſimaq; vertigine ruens ab* Oriente *occaſum verſus mox ab occaſu ad orientis terminum ſe ſe circumuoluit, trahitq; ſecum & ſtellarum fixarum orbem, &* Planetarum *omnium* Sphæ*ras.* Q*uamquàm illæ, vti videbimus inferius, reluctabundæ eo lentius aliæ, celerius uero aliæ trahuntur, quo primo illi* Orbi *rapidiſſimo uel propinquiores, uel longinquiores fuerint.* Iuniores Decimam *adinuenerunt* Sphæram, *cui nonnulli pernicitatem eam attribuerunt* Alii *contra perpetuam rerum* Diuinarum *quietem in ea ſtatuerunt.* V*bi ſcilicet* Diuini *spiritus*, Pio*rumq; animæ adſiſtant* Deo, *æternaq; omnino tranquillitate perfruantur. Sed enim hoc hic diſputare noſtri non eſt inſtituti qui ad ſimplicem quādam cæli, traditionem properamus. Scias tamen inter* Aſtrono*mos &* Philoſophos *de* C*æli orbibus minime conuenire, neq; etiam de* Planetarum *ſitu & ordine; Sed nos hæc tibi, ut a pluribus traduntur exponentes, queſtiones in aliud tempus differemus.*

DE POLIS.

STO *igitur* C*ælum, ut uno omnia uocabulo complectamur, ad* Pomi *huius, quod nunc præ manibus eſt, ſimilitudinem,* Orbiculatum *(utar enim hoc ad*

partem,

partem, qua de nunc agimus, ſatis idoneo) Vertitur hoc, ut diximus, ſupra Terram ab Oriente occidentem uerſus. & ab Occidente ſub Terra ad Orientem; Eousq; unde mane ferri ceperat quatuor & uiginti horarum ſpatio. Cardines, quibus inniti uidetur, aut circa quos uerſatur, duo, Poli Græco uocabulo nuncupantur. polō enim verto eſt. Horum unus, Pomi ſcilicet uertex hic ſūmus, unde flos abiit, Arcticus appellatur ab Vrſa, quam



Poetæ in Cælum relatam fabulantur. Arctos enim Græcis, Latinis Vrſa. In hanc autem mutatam fuiſſe Caliſto legiſti apud Ouidium. Alter qui huic oppoſitus e regione eſt, ANTARCTICVS Vocatur uocabulo ipſo oppoſitionem indicante; quem nos in Pomi pediculo ſtatuamus. Hos autem Aſtronomi MVNDI Polos uocant, propter prærogatiuam primi Cæli, ad cuius rapidiſſimæ uertiginis celeritatem reliqui omnes orbes, uti paulo ante dicebamus, Eodem ferè Vigintiquatuor horarum ſpatio circumferuntur.

AB his punctis tota deſumitur cæli dimenſio. Primo enim circulus æquo ab utroque interuallo diſtās per Pomi tuberoſitatem ducitur: qui Æquinoctialis appellatur.



Ea ſcilicet de cauſa quod Sol unoquoque anno huiuſmodi circulum bis attingens dies noctibus pares facit.

DE ZODIACO.

DIſſecat hunc per obliquum Faſcia quædam lata, dimidia ſui parte ad Arcticum obuerſa, altera ad Antarcticum inclinata; quæ à .xii. Animaliũ formis, quibus inſignita perhibetur, Zodiacus Circulus Græcis nuncupatur, Signifer Latinis, qui duodecim figuras eas ſigna uocant.




Horum

Horum primus Aries, qua primum parte ab Æquinoctiali Zodiacus diuertens in Arcticum cepit porrigi; Inde Taurus, & huic proximum Geminorum ſignum. compendioſis autem notis ita figurantur. ♈. ♉. ♊. Poſteaquàm per tria hæc ſigna acticum verſus obliquo tramite progreſſum eſt, reflecti incipit faſcia, & ad Æquinoctialem rurſus redire; quem tribus itidem diſtincta ſignis, Cancro ſcilicet Leone, & Virgine, quorum hæ notæ ſunt. ♋. ♌. ♍. ſimul ac attigit, inde Antarcticum verſus ab Æquinoctiali dilapſa, trium adhuc ſignorum ſpatio, quæ ſunt Libra. Scorpius. Sagittarius, quæ ita notantur. ♎. ♏. ♐. exporrigitur. Mox perteſa loci ab infima ea regione ad Æquinoctialem rurſus ſurſum vertitur, aliis tribus ſignis Capricorno, Aquario, Piſcibus Inſignita, quæ ad hunc modum figurantur. ♑. ♒. ♓. Hic uero circulus, neq; non omnes, quotquot in Sphæra nominantur, in duodecim has primum partis, ab ipſis ſcilicet ſignis diuiduntur. Mox vnaquæq; pars. xxx. Gradibus ita appellatis diſtinguitur; atq; ita totus vniuſcuiusq; circuli ambitus Trecentis & Sexaginta gradibus diſpeſcitur. Latitudo Zodiaci per duodecim circiter gradus extenditur. Medium eius qua parte plurimum abit, ab Æquinoctiali diſtat gradibus tribus circiter & viginti. Habet vero Zodiacus & ipſe polos ſuos, quibus quidem Zodiaci polis innixi orbes cælorum omnes, qui ſub fixarum Stellarum cælo ſunt, motu quodam ſuo verſantur, de quo inferius loco ſuo dicetur.



AB his Polis circuli ducti; qui uniuscuiusq; ſigni terminos ſecent, vniuerſum Spheræ corpus in . xii . partes æquales diuidunt, veluti ſi Peponem quis in xii portiones æquas diſſecaret. Et quidquid inter duos huiuſmodi ſemicirculos, vt ita nunc vocem, ab uno Polo ad eorum alterum continetur, eius ſigni Regio eſſe dicitur, quidquid intra ſe continuerit.



Inde Stella quæuis extra Zodiaci ſpatia quantumlibet procul ſita, in Ariete, uel Tauro, vel Geminis eſſe perhibetur.

ET quoniam vnumquodq; ſignum Gradibus, uti dictum . xxx . conſtat, eodẽ modo per Gradus vniuscuiusq; terminos ductæ in anguſtũ lineæ per Polos ſuos, efficient, ut quo etiam gradu huius uel illius ſideris Stella quælibet toto cœlo contineatur, appareat. Sed hæc non niſi in Sphæra ſolida diſcerni poſſunt.

SIGNA QVIBVS PLANETIS ADDICTA.

Ecodeſpotas autem docere loco hoc congruum videtur, ſiquidem aiunt Aſtronomi ex Planetis Solem vni Leoni præeſſe, vni vero Cancro Lunam. Reliquos, duobus ſingulos ſignis eſſe præfectos, Saturnum quippe Capricorno, & Aquario. Ioui ſubiici Sagittarium, & Piſces. Marti Scorpium, & Arietem. Veneri Libram vna cum Tauro. Virginem & Geminos Mercurio; Cuius rei compendium hac figura ſubiecimus.




DE TROPICIS.

SEd enim ut ad circulos reuertamur, ſummus ille locus, quo per tria prima ſigna Zodiacus attolli nobis uidetur, medio ſuo circulũ diurna vertigine deſcribit, qui Tropicus cãcri nuncupatur; quia ſcilicet Cancro incipiente, flecti ad inferiora ipſa incipit faſcia. Latini conuerſionẽ æſtiuã appellauere. Simili ratiõe locus infimus, quo. ſ. peruenerat Sagittarius, & vnde Capricornus in ſublime attolli cœperat, alium eadem vertigine circulum delineare fingitur, qui Capricorni Tropicus, ob conuerſionẽ. ſ. ipſam, ab Aſtronomis vocatur, ab Æquinoctiali uterq; diſtans. xxiii. gradib.



DE ARCT. ET ANTARCT. CIRCVLIS.

PRoxime autem ad Polum circulus alius effingitur, quem circumactus Zodi



Zodiaci polus, uti paulo ſuperius dictum, deſcribit, Atq; is Arcticus ab Vrſæ imagine dicitur; e cuius regione alter quoq; huic ſimilis ad alterum polum ſtatuitur, ab inferiore Zodiaci polo ſignatus; quem Antarcticum circulum appellauere, hii quoq; gradibus circiter . xxiii. à Polo diſtantes.

DE COLVRIS.




SVnt uero alii duo Circuli Coluri nuncupati; quorum vnus per pũcta, ubi Æquinoctialis à Signifero diſſecatur, & per Polos mundi ducitur, Alter pariter per utrosq; tam mundi quàm etiã Zodiaci polos, & puncta illa, quæ Tropicos ſignãt, trahitur, Sphæra omni per duos huiuſmodi circulos in partes quatuor æquales dipartita; Ideoq; Coluri, quaſi diſſecti & imminuti nuncupantur; quamuis nonnulli eorũ rationem ſupra finitorem tantum æſtimarint, ideoq; ridicula quædam de nomine ſomniarint. Atq; omnes hii quidem Circuli firmi, ſtabileſq;, eodem ſemper tenore modoq;, omnibuſq; regionibus iidem ſtatuuntur.

De


m OX & alii duo Circuli non iidem omnibus regionibus, neq; eodem omnibus tenore modoq;. Sed prout unusquisq; locus Exortum, aut occaſum verſus ſitus eſt, & ab æquinoctiali magis minusue remotus, mobiles; & ad vniuscuiusq; loci perſonæue ſitum adcommodati.

DE HORIZONTE

h Orum unus, qui quidem partem eam cæli diſſecat, quam oculis quoquouerſum in orbem circumacti dimetimur Horizon Græcis dicitur, Latinis Finitor, aut terminator. Relinquit is ſcilicet dimidium cæli nobis intuendum, reliquũ, inferius poſitum e conſpectu adimit. Quæ pars ſupra finitorem nobis inſpiciunda conceditur, illud eſt Superius Hemiſperium. Quæ uero ſupprimitur Inferius Hemiſperium nuncupatur.



De



Alter ex mobilibus circulis Meridionalis uocatur, qui. ſ. p Arctici poli punctum & cœli locum eū, qui perpendiculariter capiti noſtro incumbit, ducitur, & per diſſectum, ubi fors tulerit, æquinoctialem ad polum uſq; Antarcticum deſcendit, eoq; omni Hemiſperio decurſo ad arcticum emergit. Circulū hunc, vbi vbi loci fuerimus, cū Sol attingit Meridies eſt nobis, Merinoctium Antipodibus. Atq; hic tibi varius, pro vt occaſum aut exortum verſus tetenderis. Neq; grauabor tibi dicere cœli punctum illud, quod vniuscuiusq; vertici ad perpendiculum imminet, Zenith barbaro quidem vocabulo, Sed Aſtronomis noſtris paſſim iam recepto, nuncupari. Hi duo igitur imaginarii Circuli mente concipiendi, ut pro locorum mutatione, per unum, Poli altitudinem ſupra Horizontem noſtrū atq; ita, quātum a Tropico vel Arctico vel aliis circulis intra polos deſcriptis recedimus, edoceamur; per alterum varias Eclipſium apparitiones, & locorum interualla, quæ citra ortum & occaſum inter hos & illos incidunt, ad

certam

certam reduci poſſint dimenſionem. Hinc vero Sphæræ, modo rectæ, modo obliquæ conſideratio ſe ſe offert, quæ quidem non otioſe fuerit examinanda, ſic igitur ſuper ea philoſophemur.

DE SPHÆRA RECTA ET OBLIQVA.



SPhæra porro alia recta, alia obliqua dicitur; Recta, quando Horizon vtrunq; polũ ſecat, & populis, quibus ea ita ſita eſt, Dies & noctes ſẽper æquales ſũt, quod tota Torrida Zona fere accidit; de qua paulo inferius diſſeremus.



Rectam etiam nõnulli vocant, vbi Polus vertici noſtro imminet perpendiculariter, & Æquinoctialis eſt Horizontis loco. Et vbi ea eſt, vniuerſus annus nocte vna ſemeſtri, conſtat. Atq; hæ regiones illæ ſunt, quæ Glaciales appellantur.

appellantur, Antiquis quidem parum cognitæ, noſtro autem tempore multorum diligentia, pertinaciq; labore perquiſitæ, peruiæq; iam omnibus factæ.



Obliqua, quãdo alter polorum magis altero ſupra Horizontem attollitur. Et tunc contingit per annum noctes & dies inæquales eſſe, incrementumq; id, eo magis augeri, quo magis Zenith ad polum appropinquat. Idq; accidit duabus Zonis, quas temperatas nuncupamus; quæ vbi, & cuiusmodi ſint inferius apparebit.

DE MOTV SOLIS ET ALIORVM PLANETARVM.



ZOdiacum medium diſſecat linea, quæ vocatur Ecliptica, ſub qua Sol aſſidue fertur, neq; ab ea vnquam vel tantillum aberrat. Sub eodem Zodiaco feruntur & Planetæ reliqui

Sole quidem liberiores, ſed Luna cohibitiores; excepto Marte, qui plurimum excedit. Nam alii parum quid ultra Eclipticam transgrediuntur. Luna liberius intra tamen Zodiacum per quinq; quippe Gradus ſupra vel infra progreſſa ſpatiatur. Mars ad octo interdum Gradus ab Ecliptica declinat.

¶ Duodecim illæ Zodiaci partes, quæ Signa vocantur Triginta ſingulæ, uti dictum, gradibus diſtinguuntur, Atq; ita Zodiacus omnis in Trecentos ſexaginta gradus diſtribuitur. Sol autem diebus ſingulis ab occidente Orientem verſus nixus vnoquoq; die Gradum vnum, minutis interdum aliquot ſuperantibus, interdum deficientibus progreditur, quamuis primi mobilis impetu raptatus .xxiiii. horarum ſpatio in contrarium ab Oriente occidentem verſus rapiatur. Atq; ita .ccclx. dierum ſpatio Sol vniuerſum Zodiacum perambulaſſe deberet. Sed enim, vel quia in Tropicis obeundis neſcio quid moræ contrahit, ut veteres opinabantur, vel, vt iuniores deprehendere, in vnoquoq; ferè Gradu minimum quid quotidie supereſt, quinq; inſuper dies & horæ ſex accedunt, antea quàm annuo decurſo ſpatio ad punctum perueniat, vnde ferri ceperat, fitq; annus ipſe ex .ccclxv. diebus, & horis ſex; quæ quidem horæ quarto quoq; anno ſupputatæ. diem vnum efficiunt. Vnde Ægyptii, qui Annum ſuum perfectum quadriennio quoq; metiebantur, annum hunc cõmunem per deſcriptam iugeris Quadram figurabant. Erat vero hæc termini cuiusdam ſignum; Singula enim iugera quatuor apud eos terminis inſignita erant.

Quartus

Quartus itaq; quiſq; annus, apud nos, uno plus reliquis die, maior eſt; Isq; vulgo, Bis ſexto, appellatur, propterea quod eo anno bis ſcribitur. Sexto Cal. Martias. Nam. xxiiii. Febr. Diui Matthiæ vigilia celebratur, atq; ita feſtus eius dies in. xxv. differtur, nihiloſecius tam die vigiliæ quàm die feſto. vi. Cal. Martias dicimus.

¶ Luna ſimili motu ad Orientem & ipſa Tendit, quã vis ea quoq; vi primi Mobilis in aduerſum trahatur. Sed enim, vel quia plurimum diſtat ab ea ui, uel quia Orbem omnium minimum ſortita eſt, quod iter annuo Sol ſpatio dimetitur, ipſa ſeptem & viginti dierum ſpatio ſuperat, mox biduum conſumit in aſſequendo Sole, qui iam vnius ferè ſigni ſpatium tranſierat, Atq; ita fit, ut nono ſemper & viceſimo peracto die ſub Sole tranſeat, atq; illum mox prætereat; diciturq; Lunæ coitus cum ea ad Gradum punctumq;, in quo Sol eſt, applicuerit.

Saturnus ex Planetis, quod Sol anno vno, Luna eo dierũ paucorum ſpatio metiuntur, cum proximus ipſe ſit cælo rapidiſſimo maiorem vim patitur, vel quia maiore fertur orbe, xxx annorũ ſpatio Zodiacum perambit. Iuppiter. xii. Mars biennio. Venus, atq; Mercurius eodem ferè cum Sole curſu feruntur; Sed modo eum antecedunt, modo veluti curſu delaſſati iungunt iter, modo pares conferunt cum eo greſſus; de quibus ſuæ ſunt apud Aſtronomos Traditiones.

Octaua etiam Sphera, quæ, ut plurimorum eſt opinio, Stellas fixas continet, naturali motu fertur in Orientem; Sed quia primo mobili vicina eſt longe maiorem patitur

vim. Hinc accidit ut non niſi centum annorum ſpatio per Gradum vnum promoueri poſſit; Sed Aſtronomi plerunque minorem annorum numerum deprehendere. Conſtat tamen ab Auguſti Octauiani tempore ad hanc vſque diem, qui anni fluxere. xxxvi ſupra Mille & quingentos, Solem quatuordecim fermè dies prægreſſum. Nam eo tempore, ut obſeruat Plinius, Brumæ dies vigeſimo quinto Decẽbris erat. Quo die natus eſt Chriſtus Aſſertor noſter. Bruma vero, ſi ea eſt ingreſſus Capricorni, nunc eſt, vt plerique ſupputant, ſtatim ab eiusdem menſis vndecimo. Græci tamen Brumam & tres alios Cardines Octauo omnes gradu Capricorni, Arietis, Cancri & Libræ ſtatuunt, ſed hæc alia eſt conſideratio. Diligentiores quidam vndeuiginti dies deprehendere qui iam deberent intercalari. Quare niſi Annus aliquando corrigatur, ut Leonis. X. Tempore Sapientiſſimus Auus tuus, Max. hodie Pont. faciendum cenſebat, futurum olim eſt, ut ſalutis noſtræ Natalitii, dies, qui Brumales olim erant, in vernum Tempus inuadant, Paſcha in æſtatem. Sed nos hanc ipſis rerum Dominis curam, & Tibi fors, vbi adoleueris, relinquemus, & quod inſtituti operis munus exigit, proſequemur. Superſedebo vero hic de Nona Sphæra tibi quidquam diſſerere; quam nouem & quadraginta Millium Annorum ſpatio aliorum planetarum inſtar aduolui tradunt. Eius enim ſpeculatio alterius eſt negotii.

Neque tamen diſſimulabo antiquorum quorundam opinionem, qui motum vnum tantum in cæleſtibus huiusmodi corporibus exiſtimarunt. Omnia .ſ. velut Equos e carceribus


ceribus, vno emiſſa ſigno, ab Oriente occidentem Solem verſus curſum arripuiſſe. Accidiſſe vero, vt Sol metas omnes circumactus vno Gradu ſegnius eo rediret, vnde ferri ceperat; Ita & Planetæ alii aut plus, aut minus properarint, vt Luna omnium tardiſſime aduentaſſe videatur. Neq; tamen ab agitatione ceſſatum, ſed inſtitutum, vt quibus Planeta quiſq; viribus contendere poſſit, eo feratur nixu, neq; cogatur quidquam vltra vires ſuas attentare. Atq; hos eſſe defectus varios uolunt, de quibus Poetæ meminerint, pro ſpatii ſcilicet modo, quo fuerint a primo mobili ſuperati. Alii alios atq; alios motus excogitarunt; quos importunum eſſet hic enumerare, cum nihil aut parum ad Sphæræ fabricā faciant. Suus tamen his alibi erit locus.

DE ZONIS.

T vero ad vniuerſum Cæli corpus reuertamur tota ea moles quinq; diſtinguitur Zonis; quarū media ea eſt, quæ inter vtrūq; Tropicum continetur; Eam diſſecat mediam Æquinoctialis, in obliquum vero Zodiacus amplexatur. Et quoniam Sol ſub Zodiaco ſemper eſt, accidit ut bis annis ſingulis eam pererret; dum ſcilicet à Capricorno ad Cancrum fertur, mox dum à Cancro ad Capricornum reuertitur. Ita fit vt aſſidue Solis ardoribus exuſta nullum refrigerandi spatium enanciſci poſſit; Ideoq; Torrida conſenſu omnium vocitatur. Duæ mox Regiones, quæ orbes potius quàm Zonæ vocandæ

eandæ eſſent, à forma quippe Orbiculari, qua prœditæ ſunt; Arctico vna, Antarctico altera circulis circumſcribuntur. Vtriusq; Polus ſuus pro Centro eſt. Atq; hæ ſunt, quæ Glaciales ab omnibus vocitantur.

Alteræ Cœli Regiones duæ, quæ ſcilicet intra conuerſionem Cancri, & Arcticum Circulum, quæq; intra conuerſionem Capricorni & Antarcticũ continentur, quia calorẽ frigori cõmiſcent, Temperatæ ſiunt,



perq; vices annuo ſpatio nunc abeunte Sole obrigeſcunt, nunc eo appropinquante concaleſcunt. Has appellant habitabiles, has temperatas, has munere Deorum Immortalium animantibus conceſſas aiunt; De quibus apud Maronem.

Quinq; tenent cœlum Zonæ; quarum vna coruſcò
Semper Sole rubens, & Torrida ſemper ab igni;
Quam circum extremæ dextra leuaq; trahuntur
Cerulea glaciæ concretæ, atq; Imbribus atris.
Has inter, mediamq; duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Diuum, & via ſecta per ambas,
Obliquus qua ſe Signorum verteret ordo.

Ad eandem porro faciem ipſa etiam Tellus iiſdem Zonis diſtinguitur. Glacialibus enim hinc & inde ad Polos

conſti

conſtitutis, Torrida ſub Zodiaco, duas inde medias temperatas habet, ut appoſita indicat figura.



Tam & ſi, quantum ad Torridam ſpectat Græcorum aliquot diſputationes non deſunt; Aliorum, inhabitabilem propter æſtus intolerabiles; Aliorū, temperatiſſimā eam eſſe propter dies & noctes ſemper æquales, aſſerentium. Quæ quidem vltro citroq; examinata apud Poſſidonium & Cleomedem videre poteris. Nam & qui nunc Terrarum Mariſq; orbem ſupra infraq; nauigant, maximam cæli temperiem ſub Æquinoctiali ſe deprehendiſſe autumant. Sanè autē Ouidius Ptolomei, atq; adeo Communem ſecutus opinionem, dixit.

Vtq; duæ Cælum dextra, totidemq; ſiniſtra
Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis;
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura dei, totidemq; plagæ tellure premuntur;
Quarum, quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu;
Nix tegit alta duas; totidem inter vtranq; locauit,
Temperiemq; dedit mixta cum frigore flamma.

De


C VM autem conſtitutum ſit ex iis quæ ſuperius enarrata ſunt, Solem vnoquoq; die contra diurnum Curſum Gradum Zodiaci vnum Orientem verſus obrepere hinc accidit vt propter Zodiaci obliquitatem diebus ſingulis nouum quendam circulum in cælo deſcribat, Turbinata vertigine, altero iuxta alterum, funiculi in ſpiram collecti inſtar, adhæreſcente; A Capricorni quippe primo gradu exorſus, usq; ad primum Cancri; mox reciprocatione facta a Cancro Capricornum usq; eandem replicet ſpirã, eoſdemq; circulos ductu perpetuo deſcribat; Ita neq; hodie eodem Horizontis termino oriatur, quo heri emicuit, neq; quo hodie loco apparuit cras ſit oriturus.



Hi vero Circuli, qui numero ſunt cẽtum circiter & octoginta, pari.ſ. dierum numero, quo ſemeſtre conſtat anni ſpatium Paralleli nuncupantur. Facti vero ſunt hii Paralleli ad inſtar funiculi, quem tu nonnunquam Turbini ſolitus es obuoluere;

cum


cum puer eum parabas ad iactum. Ab imo vero creſcit habenæ ipſius circumductus; ueluti vnusquiſq; dies per vniuerſum ſemeſtre habenam ſibi ſemel circunducat. Dicunturq; Paralleli Græco vocabulo, quod æquo inter ſe diſtent interuallo; & in Sphæra quoq; dicuntur Paralleli, & ad eius ſimilitudinem in Continenti, ibi Circuli, hic linearum ductus, quicunq; parem æquidiſtantemq; inter ſe latitudinem tuentur, huiuſmodiq; lineæ toto Terræ tractu ab Oriente occaſum uerſus ab cæli Gradibus ſingulis ductæ Parallelæ a Coſmographis appellantur.




Quoniam uero Parallelorum, de quibus primo agebamus, ductus à parte ea Horizontis, quæ ad Orientem eſt, ad alteram. quæ occidētalis eſt, quantum ad diurnarum horarum incrementum, diminutionemue pertinet, conſiderantur, accidit ut Finitore per obliquum porrecto Paralleli ipſi diurni eo breuiores arcus habeant, quo ſunt Capricorno proximiores, puta funiculi ductus in Turbine, qui cuſpidi proximius trahuntur, Eo vero magis exporrigantur, quo magis ad Cancrum tendunt, quippe ad partem Turbinis latiorem.

D Quod

Quod quidem minime accidit in Sphæra Recta, vtrouis modo quis Rectam intelligat; Siquidē quibus Polus ipſe Zenith eſt, vno emerſu Sol ſemeſtrem diem affert, Atq; vno itidem occaſu eiusdem longitudinis noctem facit, Ita illis Menſes. xii. unus eſt Dies ex iis, qui luce & tenebris conſtant.




Vbi vero Horizon Æquinoctialem ſecat ad angulos rectos, quod accidit cum per utrunq; Polum ductus fuerit, Parallelorum arcus diurni, nocturniq; inter ſe pari ſunt dimenſione, ac perinde dies atq; noctes pari horarum ſpatio. xii. quippe utriusq; numero attributis, perpetuo agunt æquinoctio. Tota uero Torrida Arcus huiusmodi ferè pares ſunt; quare per Meridionalem ad. L. circiter Gradus manifeſtum eſt paruam eſſe dierum ac noctium differentiam; ſub Æquinoctiali vero dies prorſus eſſe pares noctibus.



De


DE INÆQVALITATE DIERVM AC NOCTIVM.

SED ut de Zonis, locisq́ aliis quæ plurima dici poſſent, copioſiſſime ab aliis tractata, miſſa nunc faciamus; ſatis ſuperq́ nobis fuerit, quæ regioni noſtræ accidant explicare, Deq́ Zonæ eius, quam incolimus, conditione diſputare. Variat hæc dies ac noctes, prout Sol magis minusue ad Cancrum accedit, aut recedit; ſiue huius rei Cardinem Capricornum ſtatuere uoluerimus. Idq́, uti dicebamus, accidit tam ob Zodiaci quam ob Horizontis noſtri obliquitatem. Sed quoniam hoc oculis diſcernendum eſt, age Sphærā ipſam in manus capiamus. Et Finitore primū ad Poli certam altitudinem conſtituto puta gradu. XL. age ceream hanc lenticulam puncto illi apprimamus, vbi incipit Capricornus. Sitq́ huius Cerulæ facies Sol ipſe, tollamus nunc qua parte



exortus eſt, quippe à dextera noſtra Solem ſupra Horizontem, ſenſimq́ Meridionalem usq́ deducamus. Bene habet. hic eam ſiſtamus. Tu uero, enumera nunc Gradus per Tropicum, is enim hu us loci Parallelus

eſt, qui à meridionali ad Horizontem usq; ſunt, quam uiam puta hodie Sol iuit. Hi circiter Sexaginta ſunt. Solem autem ſcimus unaquaq; hora gradus Cæli. xv. permeare. Hi uero ſunt non plures quam ſexaginta, Quatuor hoc eſt horarum ſpatium, quo peruentum eſt ad meridiem, Totidemq; Gradus, horæq; totidem reſiduæ ſunt ad Occaſum usq;. Eritq; dies hic horarum octo. At ſi Polus altius attollatur Horizō fit Zodiaco propinquior, deq; arcu Tropici quem primū ſtatuimus parallelum eo plus adimit, fitq; breuior dies: quo uero magis Polus ad Horizōtem deprimitur, eo minus horarum diurnarum amittitur. Hinc tanta horarum accidit tota Zona uarietas, ut alibi Sol per unam, duasue, aut tris plurimum horas ſe uidendum exhibeat, alibi per quatuor, alibi per quinq;; & ita per ſingulorum Graduum motum, quo Polus ſupra Horizontem uidetur attolli, ſigillatim ad. xxiiii. uſq; horas noſtræ dies Zonæ progredit. Extra hos Terminos, uti dictum, in Torrida Æquinoctium ferè perpetuum; in Glacialibus, menſtruus, bimeſtris, Trimeſtris, quadrimeſtris, quinq; alicubi menſium, & ſemeſtris ſub Polo dies habentur; Quæ



ſingula

ſingula tumet ipſe attollēdo deprimēdoue Horizōte deprehēdes, et a Coſmographis paſſim obſeruata cōperies.



¶ Eadē aūt ratione, qua diem dimetimur, noctē quoq; in ſemeſtri altero cōmetiemur; quæq; de Capricorno ſup̄ die locuti ſumus, ea nocte ſup̄, ad Cancrū referuntur. Arcus enim ille Æſtiui Tropici, quem nox ipſa percurrit; cuius punctum e regione Solis in Cancro ſtatui neceſſe eſt, quantum extendatur uides. Sexdecim enim horas amplectitur, cum per Gradus excurrat Ducentos circiter & Quadraginta.



Si uero cerulam eā quam pro Sole affixeramus in primū Cancri punctum tranſtulerimus, & ab ortu occaſū uſq; in Tropico dimenſi fuerimus magnam deprehendemus intercapedinem; quæ ab Horizonte Orientali ad occidētalem uſq; porrigitur. Idq; Soli, die toto ſuperandum; breue illud quod infra

erit,

erit, nocte percurrẽdum. Hunc porro Circulum Aſtronomi octo dimenſi portionibus Diurnæ parti quinq́, nocturnæ uero tris diſtributas inuenere, Sed enim hæc in ſimplici hac Sphæræ traditione non ſunt usq́ adeo minuta tim perquirenda. Hinc patet à Capricorni Gradu primo, Sole ad Arctos iter ſuum dirigente dies augeri quotidie, usq́ dum ad Geminorum exitum peruenerit, Eſſe tamen intra finem Geminorum, & prima Cancri puncta, ſiue Gradus dicere voluerimus, moram aliquam, ut per aliquot dies, dum eandem viam nobis itare apparet, loco dimoueri vix diſcernatur, vnoq́ & eodem parallelo oriri videatur. Gradus enim illi aſpectui noſtro non obliqui ſed recti potius apparent; Quod tempus Noſtri Solſtitium appellauere. Mox à Principio Cancri ad finem usq́ Sagittarii quottidie imminuitur dies, Et circa Cardinem hunc, primos quippe Capricorni Gradus, Brumales illi dies ſunt, Solſtitiumq́ hyemale, noctibus totius anni quam longiſſimis. Quod vero nonnulli Solſtitium vtrunq́ ſingulis diebus abſoluunt errorem eſſe ipſa comprobatur experientia.



Bis vero, anno quolibet, cum. ſ. Sol ad vltimos gradus Piſcium peruenerit, & primos Arietis inuaſerit, neq́ nõ cum extremã Virginis partem,

tem, & Libræ primam permeat, cum Arcus illi parallelares tam diurni; quam nocturni pari ferè dimenſione ſint, fieri contingit Æquinoctium. Verum hoc euidentius, quam Solſtitium, deſignari poteſt, & uno tantum die, vel una nocte deſcribi; quia obliquus Solis meatus facile tranſcurſum indicat. Ac ut uno deniq; Verbo dicamus, prout Sol magis aut minus Polo noſtro propinquat, ita diem augeri uel minui manifeſtum eſt, Hinc tibi Virgilianum illud liquet.

Cur tantum Oceano properent ſe Tinguere Soles
Hiberni; vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

DE CALORE ET FRIGORE.

EADEM ratio, idemq; Solis curſus, aduentus ꝑ aut receſſus in cauſa eſt, cur anni tempora nunc æſtuoſa, nunc rigentia, nunc temperata fiant. Nam cum Solis mora ſupra Horizontem calorem inſpiret, Nox vero refrigeret, euenit ut hyemali tempore Nox multum inuehat humorem, ac perinde totum cæli tractum refrigeret, concreſcatq; aer ipſe ob frigus; cuius munus eſt liquentia condenſare, adeo vt Sol exiguo eo temporis ſpatio, quo ſe nobis oſtentat, mox ad inferiora Cæli ſub Horizontem ſtatim raptus nullam habeat facultatem neq; craſſiciem Aeris perrumpendi, neq; Calorem ſuum moræ ſaltem, qua lucet, beneficio ſenſim immittendi, atq; ita omnia rigore & Glacie obſtupeſcunt.

Creſcente vero ſenſim die, Solem ipſum validiorem,

fieri

fieri ſentimus, & nunc hæc nunc illa nubila depelli, donec æqui data Campi Copia, certamen æquet, & pari cum nocte vi colluctetur, quod ſit, vbi ad Æquinoctium vernum peruentum eſt. Inde victor euadens eo acrius ipſe noctem, ac perinde frigus omne premere, & inſectari perſeuerat; quo iniquius ab ea fuerat habitus, Factusq; quodammodo Cæli dominus, noctis finibus in arctum redactis, calorem ipſe ſuum per uniuerſam hanc plagam ad grauem usq; dominationem extendit. Et, quoniam rerum eſt omnium viciſſitudo, cum primũ late laſciuiens Cãcrum in inuidiam Lunæ, quæ Nocti patrocinatur, male multauit, inuiolabili fatorum lege ſolum iuſſus vertere, ad Leonem, quicum arctiſſima illi intercedit amicitia ſeſe recipiens, amittendæ ſibi poſſeſſionis conſcius, quanto poteſt conatu uires ſuas omnes effundit, & caniculares illos æſtus toto aere iaculatur. Receptus demum à Virgine Aſtreæ commendatur; quæ conata inter eos componere, paremq; vtriq; poteſtatem fieri, nihil quidquam proficit; Siquidem Nox Scorpionibus, & Sagittariis armata Solem aggreditur, longoq; exagitatum certamine demum fugat, rerum ſumma ad tempus ipſi frigori commendata.

DE ECLIPSIBVS.

r ELIQVVM eſt, ut Solis Lunæq; labores, Eclipſes quidem ipſas. Hoc eſt cur modo Luna ſubitæ nonnunquã umbræ interuentu, modo Sol occurſante Luna obſcurentur.

rentur, explicemus; Curq; id non unoquoq; Lunæ coi-tu, & oppoſitione fieri contingat. Quare animus hoc loco tibi acrius excitandus, & aures depurandæ, vt quæ dicam rectiſſime percipiantur.

Memineris autem illud omnium primum, quod paulo ante dictum, Zodiacum ipſum Linea quadam, cui nomen Ecliptcæ, medium ductu perpetuo diſſecari, neq; Solem vnquam ab ea quidquam diſcedere; Eumq; ſemper ordinē ſeruare, vt eandem ſemper itet viam. Sed enim Luna hinc digreſſa ad Gradus aliquot toto ferè Zodiaco expatiatur, neq; ſemper ſub Ecliptica fit obuiam Soli, pleruncq; autē libera tranſit eo tantum ſalutato. Quippe Sole in aliquo Gradu puta Cancri primo exiſtente, tranſilit ſæpe Luna vltra Tropicum, interdum ad



quintum vsq; Gradum ab Ecliptica, Interdum minus, aut ad inferiora ſigna prolapſa infra ſupraue Capricorni Tropicum eodem modo defertur, neq; quidquam attingit Eclipticam. Atqui neceſſe eſt ſi Eclipſis uentura ſit tam Solis quam Lunæ, quocunq; accidat ſigno ſeptentrionali, vel Auſtrali, vtrunq; ſub Ecliptica deprehendi.

Secaret vero Ecliptica Terram mediam in æquales partis, ſi linea inde demiſſa, quæ Mundi machinam diuideret, traduceretur. Quare; ſiue Terra ipſa Lunæ opponenda ſit, vt vmbra ſua, quæ illuc vſq; exporrigit, eã obſcuret; ſiue Luna Soli obiiciat, vt lumen eius inuideat Terræ, neceſſe eſt vtrũq; Planetã ſub Ecliptica reperiri; et ea de cauſa lineæ nomen id a Græcis inditũ, q defectuũ hmõi cauſa ſit.



Debes autem animo percipere in duobus Eclipticæ locis pari Graduum interuallo tranſire in tranſuerſum lineam alteram, ſiue circulum mauis dicere. per quem Luna fertur; qui ab Ecliptica reſiliens interuallum quoddam relinquit adapertum quaſi per ſcindam. Sed vbi con-




iungitur

iungitur Eclipticæ, vna parte caput Draconis, altera cauda vocatur ab Aſtronomis. huiuſmodiq́ puncta non ſecus per cælum moueri nobis videntur, quam Sol & Planetæ reliqui curſu nunquam intermiſſo perambulant. Eo tamen differunt, quod Capitis & Caudæ motus Mundum ſequitur vndeuiginti diebus vno ſuperato Gradu; quot itidem anni in coitionum Lunæ reciprocatione numerantur. Atq́ hic ille numerus eſt, quem Aureum appellant.

DE SOLIS ECLIPSI.

¶ Si Solis igitur defectus euenturus ſit, vtrunq́ tam Lunam quam Solem aut in capite, aut in cauda Draconis eſſe neceſſarium eſt; vt Luna interpoſita conſpectũ Solis adimat ipſi Terræ; quæ & ipſa, vti ſuperius dictum, ſub Ecliptica eſt. Raro uero euenit vt Solis vniuerſum corpus obſcuretur; quod ſæpe accidit in Luna; quod autem pars tantum interdum adimatur, ea de cauſa fit, quod Luna non ſemper obuiam ſit ſub eo puncto vel Capitis vel Caudæ, Sed iuxta elabitur, quaq́ parte lineam attingit Eclipticam, ea vel luce priuatur, ſi Terra intercedit; vel Soli adimit lucis partem, ſi iuxta tranſiens Eclipticam omnino perſtrinxerit. Sed vt hæc facilius intelligãtur ſubiiciẽda figura fuit hæc, quæ moduli vicem gerat.



DE LVNARI ECLIPSI.

Porro ſi Lunæ defectus contingat, Solem in capite, Lunã in cauda deprehendi neceſſe eſt, aut uiceuerſa Solem in cauda, in capite Lunam. Ita enim Terra in medio ſi-

ta,

ta, cum umbræ ſuæ Pyramide Lunare corpus trãſiliat, ſi eam ibi deprehenderit, tantiſper occupat, donec illa elu ctata per horas plurimum tris, aliquando quatuor euadat; Ex vmbraq; illa omni paulatim exempta totius mox or bis candorem oſtentet.




Atq;

Atq; hic eſt Lunæ, quem aiunt, Labor; putabant enim homines huius veritatis ignari, quotiens id accidebat, laborare Lunā Ex incantationibus maleficoꝝ hominum; & ea de cauſa cymbaloꝝ tinnitu & clamoribus occurrendum inſtituerant; ne .ſ. Luna excantantium voces audire poſſet, atq; ita minus obſequi cogeretur. Sed hæc rudioris ætatis deliria fuerunt.

CVR FACIES LVNÆ VARIÆ.


NON eſt autem loco hoc prætereundum Lunam, quā modo toto orbe plenam, modo tuberoſam, modo dimidiam, modo excauari & ad nihilum redigi vnoquoq; menſe conſpicimus, id ea de cauſa pati, quia dimidium tantum Lunaris corporis lucet; quod ſcilicet a Solaribus radiis illuſtratur. Hinc fit vt cum Luna in Oriente eſt, Sol uero in Occidente, aut contra, oculus noſter, qui medius eſt inter vtrunq;, eam Lunaris Corporis medietatem aſpiciat, quæ a Sole irradiatur, atq; ita tota candicare videatur. Vbi vero a diametro ſecedere incipit, ea de cauſa nobis imminui videtur, quia pars illuſtrata per obliquum auertitur, atq; ita oculis noſtris eripitur. Ita cū eadem in Cæli quadra prima vel tertia reperitur, dimidia ſui parte nobis ſeſe videndam offert. Mox quo magis ad Solem appropinquat, eo magis ſuperior pars illuſtratur, quæ ab obtutu noſtro ſemota eſt, inferior, quæ .ſ. ad oculos noſtros obuerſa eſt, obſcuratur, aut potius deficere videtur. Et cum Soli demum ſubiecta eſt, luminoſa eius parte tota ad Solem verſa, nobis

bis qui infra ſumus illunis apparet; donec à Sole recedens tertia mox die obuerſæ in. ɔ . litteræ ſpeciem ſe ſe nobis viſendam præbet, ac damno mox quotidie reparato magis increſcens, vsq; ad quartumdecimũ diem, paulatim aucta, toto iterum corpore ſeſe illuſtratam oſtentat.



Q uid

Ecq; illud ignorandum eſt, Diem *aut à tempore*
n *aut à qualitate intelligi*, à Tempore *quatuor*
& viginti horis conſtare, *à qualitate eſſe* Ae
rem illuminatum à Sole *ſupra* Horizontem *euecto*, *&*
quam diu moram ibi traxerit, ad occaſum vſq;. Noctem



vero nihil aliud eſſe quam Terræ *vmbram*, *atq; euenire*
ſemper vt ſimul ac Sol *infra* Horizontem *deciderit, vm*
bra hæc oboriatur, Terramq; *obfuſcet media ſui parte*,
diametro cum Solis *progreſſu ſemper mobili*, Itaq; *non*
ante Dies *eſt, quam* Sol *iterũ ſupra* Horizontẽ *emergat.*

Accidit

Accidit tamen, vt Sole per Gradus duodeuiginti infra Horizontem, vt Ptolomeus, tam in exortu quam in occaſu exiſtente Lumen eius ſupra diffundatur, atq; ita ferme per horam anteaquam Oriatur, & poſteaquam occiderit, adhuc lux in ſuperiore Hemiſperio maneat, idq; tempus Latini Crepuſculum vocauere.

¶ Habes iã Adoleſcẽs honoratiſſime Sphæræ ſummã, quemadmodum tota Mundi machina Orbicularis fingitur, & vt ipſi Cælorum orbes quatuor & viginti horarum ſpatio circũuoluuntur; quæq; ſua vnicuiq; inferiorum ſit ceſſationis cauſa. Habes Elementa quatuor infra Cælum Lunæ, Terramq; in medio omnium, quibus tota hæc conſtat fabrica, pro centro reductam. Habes de Polis duplicem conſiderationem, & vertiginum varietates, Æquinoctialem, Zodiacum, Tropicos duos, & Polares totidem circulos, quos vna cum Coluris duobus tibi deſcripſimus. Circulos mobiles Finitorem & Meridionalẽ cõmonſtrauimus. Quid Sphæra recta, quid obliqua ſit oſtendimus. Solis & aliorũ Planetarum diurnos annuosq; motus, quantum ad ortum & occaſum pertinet, indicauimus. De Zonis quinq; & Parallelis; vnde æqualitas, & inequalitas dierum & noctium accidat diſſeruimus; ad hæc, vnde calor & frigus reſultaret aperuimus. Mox defectuum tam in Sole quam in Luna cauſas modumq; non modo retulimus, Sed oculis propemodum ſubiecimus. Quæ quidem ad eam quam affectas Geographiæ peritiam ſatis tibi ſuperq; opis allatura ſunt. Reliqua de exacto Cælorum numero, de Epicyclis, de eccentricis, & Deferentibus

rentibus circulis in Planetarum Sphæris, de Motuum quorundam trepidatione, quæ Aſtronomorum ſubtilitas excogitauit, ſed quibus ægre Philoſophi aſſentiuntur, quæq; auctores eosdem perplexa loqui cogunt, neq; ad hoc negotium; neq; ad ſtudia nunc tua pertinere arbitrati ſumus. Quare iis, & ſublimiori doctrina illa, quæ eruditiſſimi Viterbienſis tui propria eſt, dimiſſis, tibi per immenſos Terrarum Marisq; tractus ingreſſuro, hæc de Sphæra dicta ſufficere iudicauimus.

FINIS.

Donati Villaltæ Feltr. Phyſici Carmen ad Pierium.

Duxiſſe Phœbum te per alta Sydera,
Vraniam aut ipſam puto
Pieri Aonidum decus Sororum;
Qui, dum Situs, vagos meatus orbium,
Dum temporum uarias uices,
Dum Lunæ coitus, graues labores,
Quæ ſigna flexo deferantur circulo,
Errantia aut qua commeent,
Fixa Stellifero uel aſtra Olympo,
Dum cuncta demum, quæ tenet cœli ambitus,
Tali ordine, vt merito queat
Mirari Sapiens, rudis doceri,
Breuiſſimo complecteris compendio,
Terras polos q; munere
Tam docto tibi Pieri obligaſti.

DE ECLIPSIBVS EX PROCLO.

IN vniuerſum cū acciderit Eclipſis alterutrius ☉ aut ☽ in ♉ , ♍ aut ♑ . Fructuum penuria, & præcipue frugum ſatorumq; continget.

¶ in ♊ , ♎ , & ♒ . Fames & atrociſſimæ ægritudines, morborumq; peſtes mortalibus ingruere Aſtronomi obſeruauerunt.

¶ In ♋ ♏ . & ♓ . obſcuræ turbæ, ignobilisq; plebeculæ interitus, diuturnæ belloꝝ ſeditiones, & aquatilium, marinorumq;, & aliorum ex æquore degentium magna pernicies.

¶ Quartus Trinus in Signis ♈ . ♌ . ♐ , vnde argum̄ hoc exordiebať, explicari nō potuit, quia codex Græcus corroſus erat prima ſtatim pagina. Sed quid ibi cōtineret ex vniuſcuiuſq; ſigni decanis ſatis apparebit.

¶ Effectus iudiciarii ob Solis Eclipſim per Decanos ſingulos.

¶ Sol cum laborare viſus fuerit in aliquo ex primis decē Gradibus ♈ Crebros armoꝝ & Exercituum motus portendit, continuaſq; expeditiones, & inſultus bellorum cum tumultu plurimo, Seditiones, controuerſias, & intemperiem Aeris ad ſiccitatem potiſſimum vergentis.

¶ In ſequenti vero Decano Regis carcerē, mærorem, aut Mortis periculū, Arborūq; fructiferaꝝ corruptionē, ac Terra naſcentiū putredinē. ¶ In vltimo Denario Triſticiā; & luctū affert mortalibus, Magnæq; Mulieris obitum, & ad hæc pecudum perniciem minitatur.

¶In ♉ vero Denario primo negotiatores affligit, & irrita tractare cogit, omniaq; eorum negotia ſubruit, ſatis quoq;, & Segetibus obeſt. ¶In altero Decano peregrinantibus, parturientibusq; parat incommoda. ¶In poſtremis, peſtemq; famemq; inducit.

¶In ♊ primis . x . Gradibus, Sacerdotibus, & in quouis ordine ſacris initiatis diſſenſionem, lites, & ſeditiones oggerit, odia infunda, legum contemptum, & pietatis ēt neglectū concitat. ¶In. X. mediis latrocinia maritima, & cedes. ¶In vltimis. X. Regis obitū, & ſtatus publici detrimēta varia, ciuiliūq; negotiorum irritos euētus.

¶In ♋ . X . primis Gradibus Aerē perturbat, magnaq; exagitat varietate. ¶In ſecūdo decano fluuios & fontes exſiccat, incōtinentiā, & petulantiā mortalibus intentat. ¶In vltimis, x . gradibus per vniuersā Armeniā, & Africam, cæterasq; regiones Cancro ſubiectas morbos, ſeditiones, & lues alias immittit.

¶In ♌ Denario primo ſummi alicuius Principis mortem, & rei frumentariæ pænuriam præmonſtrat.

¶In ſecundo, Regis, Magnatum, & procerum anxietates & detrimenta minitatur. ¶In vltimis captiuitates, obſidiones, direptiones, & ædiū ſacrarum profanationes.

¶In ♍ Decano primo, calamitoſum Regis alicuius exitum, & ſtragem arguit.

¶In ſecundo famem, peſtem, & ſeditiones mortalium.

¶In vltimo pictoribus, Poetis, & Mercurialibus, qui ingenio vigent aduerſa omnia; cedes; exilium, & ſimilia.

¶In. X. primis Gr. ♎ Aerem corrumpit, peſtem ſuſcitat, et Annonam flagellat, caramq; reddit. In mediis

magni

magni Regis mortem,ſeditiones,& famem portendit.
In vltimis Nobiliũ cõtrouerſias,et Fortunaꝝ detrimẽta.
¶ In ♏ Denario primo tumultus bellicos mouet, ce
des,odia, captiuitates,& proditiones machinatur.
¶ In medio,Regis cuiuſpiã perniciẽ, auerſum exercitus
aĩum,& ſimilia. In vltimo alienigenæ Tyranni aduẽ
tum,ignauiã atq; ſocordiã prioris Regis oĩbus inuiſam.
¶ In.x.primis ♐ gradibus ſeditiones inter mortales
manifeſtas oſtendit,& ab omni conſenſu, cõcordiaq; ab
alienationẽ. ¶ In.x.mediis Cameloꝝ,Rudentũq; iu
mentoꝝ,ac cæteroꝝ eius generis veterinoꝝ aĩaliũ interi
tũ. In vltimis et equos;et exercitus multifariã affligit.
¶ In ♑ Decano primo infelices habet magnoꝝ viro
rũ caſus, Regis alicuius Trãſmigrationẽ,nobiliũ & ple
bis rebelliones. ¶ In medio Denario iuratos milites in
Imperatorem, Ductoresq; ſuos iritat, conatusq; eorum
irritos, aut infelices euentus facit. ¶ In poſtremo
Tumultuariũ Regis motum cit, famem inducit.
¶ In ♒ primis.x.Gradibus publici mæroris & lu
ctus materiam præbet. ¶ In.x.mediis Latrocinia
publica,furta,rapinas,Terræmotusq;,et famẽ cõminat.
¶ In vltimis Ouium, Agreſtiumq; Brutorum eiusmo
di interitum innuit.
¶ In ♓ Decẽ primis Gradibus fluuios exiccat, ma
ritima infortunat. ¶ In medio Decano Clari præſtã
tisq; viri mortem,ac in maritimis regionibus Piſcium va
ſtitatem, Terræq; motum facit. ¶ In vltimo De
nario ſeditionem, crudelitatem,ferociam, & inhumani
tatem militum extimulat.

Super

SVPER ECLIPSI LVNÆ PROCLVS IDEM

IN ♈ decẽ primis Gradibus Obſcurata Luna febres futuras, ædium incendia, combuſtiones Nemoꝝ, ac Aeris ſiccitatem oſtendit. ❡ In medio Denario peſtilentiã. ❡ In.x. vltimis Gr. abortiuos partus, et incõmoda periculaq; huiuſmodi alia in mulieribus.

❡ In ♉ Denario primo, nece morboq; graſſatur in pecudes. ❡ In.x. mediis gradibus Reginæ obitũ, & ſatoꝝ ſeminumq; ſterilitatem immittit.

❡ In vltimis, in ſerpentes, & reptilia sæuit.

❡ In ♊ Decẽ primis Gra. incurſiones et rapinas hoſtiũ minitat̃. ❡ In.x. mediis repẽtinos exercituũ motus priuatarũ, publicarũq; rerum ſollicitationes.

❡ Iu vltimis, præſtantis fama viri obitum oſtendit.

❡ In ♋ Denario primo bellum omnino concitat.

❡ In ſecũdo exactiones acerbas, tributa intolerabilia, et hmõi onera portendit. ❡ In vltimo ſexui Muliebri morbos, ſubitas, miſeras, repentinasq; neces minitatur.

❡ In ♌ .X. primis Gradibus, vel celerem Regis al icuius infirmitatem, vel præclari cuiuſpiam viri mortem adducit. ❡ In.X. vero mediis Regis iter, & aliquã Rerum mutationem accerſit. ❡ In vltimis, Exercitus populosue excitat ad res nouas.

❡ In ♍ Decano primo ægrotationes Regũ inducit, atq; hoĩum varias diſcordias & ſeditiones. ❡ In ſecũdo, In cõſultores, ſcribas, et hmõi hoĩum forẽſe genus ꝑniciẽ parat. ❡ In vltimo mortalibus morbos affert.

❡ In Decem ♎ primis Gradibus Grandines & fœ

das

das alias Tempeſtates prouocat. ¶ In. x. mediis vitiligeneis omnibus pernicioſa eſt. ¶ In ultimis, magni clariq́ viri interitum minatur.

¶ In ♏ .x. primis Gra. horrẽda Tonitrua & fulgura portendit, & interdũ Terræ motũ. ¶ In decem vero mediis Oliuas & Aerẽ exſiccat, & febres æſtuoſas facit. ¶ At in vltimo Decano eadem minitatur, atq́ inſuper inter mortales plurimum ſæuit, morbo, rixis, ſeditionibus, cedibusq́.

¶ In ♐ . x. primis Gra. Latrocinia, & rapinas immittit. ¶ In. x. mediis in equos, et in mulas deſæuit. ¶ In vltimis peſtẽ afflat, et mala ĩter mortales plurima.

¶ In ♑ Decano primo ſuggillationes in hoĩes mouet, & p̃ſtantis alicuius viri pernicioſam cedem oſtendit.

¶ In medio Decano crebros militum inſultus, incurſiones crebras, Latrocinia, & captiuitates.

¶ In vltimo, Regis alicuius mortem, & ſeditionem.

¶ In ♒ . x. primis Gra. malam Regi Cuipiam valetudinẽ indicat affuturã. ¶ In. X. mediis ſementem lædit uniuersã. ¶ In ultimis inſignẽ rerũ oĩum mutationem facit, qua tamen, quicunq́ grauiora perpeſſi fuerint, à malis liberentur.

¶ In ♓ Denario primo, Sacerdotibus, et Æditumis Antiſtibusq́ luctũ, & Mærorem affert. ¶ In medio, magni præſtantisq́ uiri obitum. ¶ In ultimo latrocinia, & rapinas Terra mariq́ promiscuas minitatur.

FINIS.

Vp. + 55

¶ Impreſſit Romæ Ant. Blades Platina Aſulanus, cum Priuilegio, nequis alius Imprimat, ſub Anathe matis pœna, & Pecuniaria mulcta, ut in Breui Apoſtolico continetur.

M. D. XXXVII. Men. Apr.



580,097

fl. + kr. — 40.
nut

BIBLIOTECA NAZ
13